De hoc miro a die 10 mensis Iunii ad diem 4 mensis Novembris anno 2016 Inquisitio dioecesana apud Curiam ecclesiasticam Catacensem-Squillacensem celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 17 mensis Novembris anno 2017 est approbata. Medicorum Consilium, diei 21 mensis Novembris anno 2019 in sessione, graviditatis progressum ex scientiae legibus inexplicabile declaraverunt. Consultores Theologi die 24 mensis Martii anno 2020, necnon Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione congregati, die 22 mensis Septembris anno 2020, posito dubio an de miraculo per intercessionem Venerabilis Servae Dei divinitus patrato constaret, votum adfirmativum protulerunt.

Facta demum scripto de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, per subscriptum nomen hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei*

Caietanae (v.d. Nuccia) Tolomeo, Christifidelis laicae, videlicet de progressu, ex scientiae legibus inexplicabili, graviditatis heterotopicae “in sede istmica, in paziente già sottoposta a due tagli cesarei”.

Per eandem subscriptionem, Summus Pontifex iuxta consuetudinem hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 29 mensis Septembris a. D. 2020.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

L. ✠ S.

P. BOGUSLAUS STANISLAUS TUREK, C.S.M.A
Subsecretarius

CIVITATIS REGALENSIS ET ALIARUM

Beatificationis seu Declerationis Martyrii Servorum Dei Francisci Castoris Sojo López et III Sociorum, Sodalitatis Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum Cordis Iesu († 1936-1938)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Licet loqui de vocatione *in* sacerdotio. (...) Est *sequere* quoddam, quod vitam et missionem apostoli comitatur. Est *sequere* nimirum quod vocationem et usque ad mortem fidelitatem contestatur, *sequere* quod Christi sequelam demonstrare potest una cum sui ipsius pleno dono in martyrio» (Sanctus Ioannes Paulus II, Adhortatio Apostolica Postsynodalis *Pastores dabo vobis*, 70).

Religiosa Hispanica persecutione anno 1936 recrudescente, socii Sodalitatis Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum Cordis Iesu, quam propterea beatus Emmanuel Domingo y Sol condidit, alumnorum seminarii institutionem navabant. Sex et viginti eorum, cum martyrii gratiam recepissent, iam relati sunt Ecclesiae in Beatorum numerum. Perinde et quattuor Servi Dei, ob fidem in Christum et in Ecclesiam interfecti, se eorum testimonio adiungunt.

Hi sunt:

1. FRANCISCUS CASTOR SOJO LÓPEZ. Die 28 mensis Martii anno 1881 ortus est in municipio v.d. *Madrigalejo*, Cacerensi in provincia. Dum seminarii erat alumnus, plurimis venit in amicitiam, qui postea martyres occubuere. Theologiae Licentia in Seminario Centrali Toletano adepta, ordinationem sacerdotalem die 19 mensis Decembris anno 1903 Plasentiae in Cathedrali suscepit atque insequenti anno intra Sodalitatem suam primam fecit consecrationem. Plasentiae, Badaiocii, Segoviae, Austurgae Civitateque Regalensi ad formationem futurorum sacerdotum vitam omnino impendit. Musicam diligebat atque docebat, attamen artes nil erant eius pro pietate. In Sodalitatem magnam dilectionem habuit. Se uti alumnorum patrem percipiens, sinceram fraternitatem in seminario condere valuit. Postremis vitae mensibus, ferventer devoteque se ad mortem composuit, quam certam proximamque vero praesentibat. Plumbea glande sclopeto emissa apud Civitatem Regalensem transfossus est, nocte inter diem 12 et diem 13 mensis Septembris anno 1936.

2. MILLANUS GARDE SERRANO. In lucem editus est in vico v.d. *Vara del Rey*, Conchae Valeriae in meridione, die 21 mensis Decembris anno 1876. Presbyter ordinatus est die 21 mensis Decembris anno 1901 et Sodalitatem ingressus est

anno 1903. Eodem tempore Licentiam Iuris Canonici adeptus est Toletanum apud Seminarium Centrale. Ad seminarii alumnos instituendos maxime nisus est Toleti, Badaioicii, Cuernavacae, Queretari, Vallisoleti, Salmanticae, Austurgae, Plasentiae ac Legione, ubi magistri, administratoris vel spiritualis moderatoris est munere functus. Eucharistica pietate sacerdos praecipue ardebat. Cum captus esset, nulla defensione adeo obstitit, ne funibus quidem, quas ad colligandas ei manus paratae erant, uti opus esset. Insanarum condicionum ratione necnon ob vexationes acceptas, Conchensi in carcere obiit die 7 mensis Iulii anno 1938.

3. EMMANUEL GALCERÁ VIDELLET. Die 6 mensis Iulii anno 1877 natus est in vico v.d. *Caseres*, Tarraconensi in provincia. Presbyteratu auctus est die 1 mensis Iunii anno 1901 Oscensi in Cathedrali ac sequenti anno ad doctoris Theologiae gradum pervenit apud Seminarium Centrale Caesaraugustanum. Anno 1907 ingressus est Sodalitatem. Ministerium eius in seminariis Caesaraugustano, Barcinonensi, Tarraconensi, Cuernavacensi, Queretarensi, Badaiocensi, Civitatis Regalensis, Vallisoletano, Belchitensi, Beatiensi, sicut in Pontificio Collegio Hispanico Sancti Ioseph Romae procedit. Alta fidelitate in sacerdotium continenter eminuit, atque humilitate ac humanitate quietem et comitatem, ubicumque vixit, condere valuit. Plumbea glande sclopeto emissa transfossus est die 3 mensis Septembris anno 1936, una cum aliis triginta hominibus. Postquam necem hanc peregerunt, milites exultatum iverunt atque gestas res contumaciter narrabant.

4. AQUILINUS PASTOR CAMBERO. Cacerensi in provincia, apud municipium v.d. *Zarza de Granadilla*, die 4 mensis Ianuarii anno 1911 ortum duxit. Iam a pueritia vocationis sacerdotalis signa ostendit. In seminariis Cauriensi Toletanoque studiis peractis, Probationis Domum Sodalitatis ingressus est anno 1934 ac, die 25 mensis Augusti anno 1935, Plasentiae in Cathedrali ordinationem sacerdotalem suscepit. Unum tantum per annum ministerium exercuit, uti praefectus alumnorum et magister, in seminario Beatiensi. Praeter hoc, cum iuvenibus gaudio et iucunditate consistere solebat atque, inter eos, ad gloriam Dei et salutem animarum se quidem impendebat. In Cor Iesu Sacratissimum et Virginem Mariam singularem devotionem excolebat. Ubedae, intra dioecesis Giennensis fines, necatus est die 28 mensis Augusti anno 1936. Moriens, se ostendebat laetum, fervidas iaculatorias recitabat preces et Christum Regem praedicabat.

Saevitas iraque rei publicae militum, qui ab anno 1931 vim per Hispaniam afferebant ac postea fidei hominibus atque locis invehebantur, Servos Dei non rei publicae rationibus sed ob eorum sacerdotale tantum statum interfectos esse patefaciunt. Quorum ministerium, mirificis virtutibus iam

exornatum, videlicet fide, spe, caritate, necnon oboedientia, zelo et humilitate, viribus increbrescentibus, martyrii cupiditate plenum usque factum est. Quod ipsum donum assidue per preceationem petebant adipisci, ceteris sacerdotibus similes, qui pro Deo suum laetitia ac largitate effundebant sanguinem. Item, post obitum eorum, populus christianus martyres habuit, itaque memoria eorum et hodie sicut vera martyrii fama vivit.

Quapropter, cum Servi Dei diversis in dioecesibus vita excidissent, tres Inquisitiones dioecesanæ diversæ celebratae sunt: apud Curiam ecclesiasticam Civitatis Regalensis a die 21 mensis Maii anno 1998 ad diem 11 mensis Decembris anno 2003, apud Curiam ecclesiasticam Conchensem a die 12 mensis Iunii anno 1998 ad diem 4 mensis Iulii anno 2003 et apud Curiam ecclesiasticam Giennensem a die 27 mensis Octobris anno 1998 ad diem 21 mensis Maii anno 2004. Quarum iuridica validitas per cuiusque decreta Congregationis de Causis Sanctorum die 24 mensis Novembris anno 2006, die 30 mensis Novembris anno 2006 ac die 18 mensis Maii anno 2007 est agnita. Dein haec eadem Congregatio de Causis Sanctorum per declarationem diei 30 mensis Martii anno 2009 annuit ut tres ipsae Causae coniungi possent.

Positio una inde confecta, die 28 mensis Aprilis anno 2016, fausto cum exitu, Peculiaris Consultorum Theologorum habitus est Congressus. Patres Cardinales et Episcopi, diei 22 mensis Septembris anno 2020 Ordinaria in Sessione, Servorum Dei verum professi sunt martyrium fuisse.

Facta demum scripto de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, per subscriptum nomen hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Francisci Castoris Sojo Lopez et III Sociorum, Sodalitatis Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum Cordis Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Per eandem subscriptionem, Summus Pontifex iuxta consuetudinem hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 29 mensis Septembris a. D. 2020.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, a Secretis

L. ✠ S.

P. BOGUSLAUS STANISLAUS TUREK, C.S.M.A.
Subsecretarius

VALENTINA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Franciscæ a Conceptione Pascual Doménech, Fundatricis Congregationis Sororum Franciscalium ab Immaculata (1833-1903)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Bonitas Domini visitat nos, sua per dona ac spirituales gratias».

Haec Servae Dei Franciscæ a Conceptione Pascual Doménech verba altam benevolentiae misericordiaeque Domini experientiam eius describunt, quae efficit ut studeret Deo placere et se omnino eius ministerio traderet.

Serva Dei die 13 mensis Octobris anno 1833 nata est Moncadae, prope Valentiam. Iam a pueritia innatum ac vehementem quandam sensum religiosum colebat. Ut familiam adiuveret, in sericorum civitatis officina opus facere incepit. Qua conclusa, Valentiam se contulit, ubi primum apud sericorum officinam operata est, post ut famula. Operis exercitium habitum eius informavit paravitque eam ad futura proposita ac munera suscipienda.

Deo se consecrandi cupida, in Conventum Tertiariarum Sancti Francisci in via v.d. *Rençons* Valentiae accepta est. Orationi ac caritati dedita, iuxta Tertii Ordinis Regulas, primos annos consummavit. Dominum ei misericordiarum suarum copiam superfundere percipiebat, adeo ut ipsa aliis eandem superfundere posset. Dicebat enim: “Caritas in Deum calamitas est, nisi in alios perfunderetur”. Conventum reformare ergo proposuit, vitam communem restituens, quomodo sanctus Franciscus eam concepit, ac operis apostolici campum augens. Sorores enim puerorum ac iuvenum, caecorum surdorumque praesertim, factae sunt institutrices et ad iuvenes protegendas mulieres sedes condiderunt. Ita Congregatio Sororum Franciscalium Tertiariarum a Sancto Francisco Assisiensi et ab Immaculata orta est, quae vero ab anno 1902 pontificii facta est iuris et hodie Congregationis Sororum Franciscalium ab Immaculata Conceptione nomen habet.

Summa fide Serva Dei cuncta incepta proposita Divinae Providentiae committebat, fiduciam magnam, quietem ac serenitatem semper ostendens. Altam Marialem devotionem colebat, quapropter Virginem Immaculatam “Generalem Instituti Antistitam” putabat. Eucharistia, precatione ac paenitentia pietatem continenter alebat. Suum Antistitae munus, uti verum pro bono Congregationis ministerium, comprehendit. Silentio operabatur et humillima quoque agebat officia. Numquam celebritatem petivit, abdita immo latere cupiebat ac omnes laudes suas fugiebat. Ut pueri, caeci, aegroti, senes mulieresque curarentur, ingentem profudit laborem. Plurimas institutionis et adiumenti sedes pro iisdem aperuit.

Egenis ministrando, se autem Christo ministrare sciebat. Congregatio condita necnon apostolica opera perfecta sapientiae mirificaeque prudentiae mulierem in lucem eam protulerunt, in primis cum Sororibus convivendo vel quibusdam praebendo consilia. Omnia bona a Deo venire conscia, numquam viribus suis confisa est nimis. Lucida denique spe sinceram Caeli cupiditatem excolebat.

“Iesu mi, misericordia” postrema verba eius fuerunt. Moncadae die 26 mensis Aprilis anno 1903 animam edidit. Tam vivens, quam post obitum eius, vera increbrescentique circumdata est sanctitatis fama.

Propterea, Servae Dei Causa incepta est beatificationis et canonizationis. Apud Curiam ecclesiasticam Valentinam a die 26 mensis Februarii anno 1989 ad diem 13 mensis Aprilis anno 1991 Inquisitio dioecesana habita est, cuius iuridicam validitatem die 18 mensis Martii anno 1994 haec Congregatio de Causis Sanctorum decrevit. Positione exarata ac die 23 mensis Octobris anno 2007 Consultorum Historicorum iudicio subiecta, inde disceptatum est, statutas secundum normas, an Serva Dei heroico virtutes christianas exercuisset gradu. Die 2 mensis Februarii anno 2016 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus, fausto cum exitu, celebratus est. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione die 22 mensis Septembris anno 2020 congregati, Servam Dei theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico more professi sunt excoluisse.

Facta demum scripto de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, per subscriptum nomen hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Franciscae a Conceptione Pascual Doménech, Fundatricis Congregationis Sororum Franciscalium ab Immaculata, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Per eandem subscriptionem, Summus Pontifex iuxta consuetudinem hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 29 mensis Septembris a. D. 2020.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, a Secretis

L. ✠ S.

P. BOGUSLAUS STANISLAUS TUREK, C.S.M.A
Subsecretarius

MATRITENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae a Virgine Perdolente Segarra Gestoso, Fundatricis Sororum Missionariarum a Christo Sacerdote (1921-1959)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Sicut me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum; et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate» (*Io 17, 18-19*).

Dominus noster Iesus Christus se ad salutem hominum obtulit Patri. Ipse generosas animas quaerit, quae et hodie, sacerdotium eius imitantes, se ipsas Deo, ut Redemptionis eius ministrae ac maximae caritatis prophetia, offerant. Sic Serva Dei Maria a Virgine Perdolente Segarra Gestoso, vitam Deo consecrandi cupida, fuit, quae vitam et mortem suam Christi Crucifixi mysterio coniunxit.

Serva Dei in Hispania, Melilae, die 15 mensis Martii anno 1921 ortum duxit, in frequenti ferventique catholica familia. Pater, militiam exercens, non tantum firmiores virtutes morales liberos docuit, sed suam magnam devotionem in Virginem Mariam iisdem etiam tradidit. Mater tenuitatem, mansuetudinem ac sedulitatem adiunxit. Iam a pueritia Serva Dei simpliciter austereque vivere didicit, cum familia eius, patris militis causa, se conferret in urbes uti Melilam, Chartaginem, v.d. *Huércal-Overa*, Abulam, v.d. *Cala-tayud*, Castra Caecilia et denuo Melilam. Pietate eminebat et apostolica cupiditate. Die Primae Communionis Domino promisit se cotidie ipsum sumpturam ac vitam, sicut religiosam, consecraturam.

Lycei studiis peractis, Sebastianum Carrasco Jiménez sacerdotem cognovit, qui totam per vitam moderatoris spiritualis eius functus est munere. Cum primum vitam religiosam experta esset, anno 1957 Osaе, a Granata haud longe, sub Episcopi Guadicensis protectione, Piam Unionem Missionariam a Christo Sacerdote instituit, quae postea, dioecesani iuris Congregatio Sororum Missionariarum a Christo Sacerdote nomen suscepit. Hae religiosae, se eius eucharisticae oblationi iungentes, sinceram devotionem Marialem habentes ac fructiferum apostolatam in parocciis agentes, vitae, una cum Christo Sacerdote, offerendae propositum colebant.

Brevi autem tempore Serva Dei vere vitam pro novo incipienti instituto obtulit. Nam in morbum hepaticum incidit sectionique chirurgicae est subiecta. Inde, post sedecim menses ab ortu Piae Unionis tantum, Deo animam suam reddidit. Dies erat 1 mensis Martii anno 1959 ac Serva Dei trigesimum octavum aetatis annum erat completura.

Tam in Servae Dei vita quam in morte, virtutes christianae quidem fulserunt. Altam fidem in Deum alebat, maxima cum fiducia in consilia eius, adeo ut omnia

accipere valuit sanctificationis instrumenta. Itaque sacerdotale vitae pro caritate Dei impensae propositum confirmavit. Vivens multum laborare debuit, primum in anima dein in corpore. Inter res difficilioreas spem et caritatem suam patefecit, necnon prudentiam, fortitudinem ac temperantiam. Calumnias toleravit humilitate et silentio, ignosci prompta atque erga inimicos heroica uti caritate. Hilaris vultu esse ac dulce labiis ridere numquam desinit. Mater appellabatur, cum largitatem in omnes benevolentiam et auxilium eius postulantibus ostenderet.

Eius sanctitatis fama usque increbuit et plurimi christifideles hodie quoque, in crypta sacelli Generalitiam apud Missionariam a Christo Sacerdote Domum, eius visitant sepulchrum. Quapropter Servae Dei Causa beatificationis et canonizationis habita est instruenda. Inquisitio dioecesana apud Curiam ecclesiasticam Matritensem die 5 mensis Iunii anno 1987 incepta est ac die 12 mensis Ianuarii 1999 peracta. Haec Congregatio de Causis Sanctorum de eius iuridicam validitatem decretum edidit die 30 mensis Novembris anno 2001. Positione confecta, consuetas iuxta normas disceptatum est an Serva Dei virtutes christianas heroico in gradu excolisset. Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus die 2 mensis Maii anno 2019 adfirmative evadit. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione die 22 mensis Septembris anno 2020 congregati, Servam Dei professi sunt theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico modo exercuisse.

Facta demum scripto de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, per subscriptum nomen hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae a Virgine Perdolente Segarra Gestoso, Fundatricis Congregationis Sororum Missionariam a Christo Sacerdote, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Per eandem subscriptionem, Summus Pontifex iuxta consuetudinem hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 29 mensis Septembris a. D. 2020.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, a Secretis

L. ✠ S.

P. BOGUSLAUS STANISLAUS TUREK, C.S.M.A
Subsecretarius

PUTEOLANA

Canonizationis Beati Iustini Mariae Russolillo, Sacerdotis, Fondatoris Societatis Divinarum Vocationum (1891-1955)**DECRETUM SUPER MIRACULO**

Beatus Iustinus Maria Russolillo die 18 mensis Ianuarii anno 1891 in urbis Neapolitanae vico v.d. *Pianura*, intra fines dioecesis Puteolanae, natus est. In Cathedrali Puteolorum ecclesia die 20 mensis Septembris anno 1913 presbyter ordinatus est et eodem ipso die se quandam congregationem religiosam ad vocationes curandas fundaturum vovit. Dein parochus Sancti Georgii Martyris in eodem vico v.d. *Pianura* nominatus est. Vitam cotidianam cum aliquibus iuvenibus vocationem discernentibus participare incepit, ita ut Societas Divinarum Vocationum orta sit. Eiusdem causa aliquae iuvenes etiam una vivere inchoaverunt et similiter congregatio Sororum Divinarum Vocationum est creata. Beatus institutum saeculare quoque fundavit, quod postea Archiepiscopus Neapolitanus approbavit. Die 2 mensis Augusti anno 1955, clara sanctitatis fama circumdatus, obiit. Summus Pontifex Benedictus XVI die 7 mensis Maii anno 2011 eum in numerum Beatorum rettulit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio huius Congregationis de Causis Sanctorum iudicio miram cuiusdam iuvenis Societatis Divinarum Vocationum professi sanationem subiecit. Res Puteolis anno 2016 accidit. Matutino tempore diei 16 mensis Aprilis in cubiculo suo humi iacens ac sopitus religiosus inventus est. In valetudinario intubatio trachealis et ventilatio mechanica ei adhibita sunt. His curationibus haud sufficientibus, longum ob tempus cum sine medicationibus iuvenis mansisset, et quoad vitam et quoad valetudinem medici prognosim infaustam protulerunt. Omnes religiosorum religiosarumque Divinarum Vocationum domus choraliter precari inceperunt ut professi sanatio per intercessionem beati Iustini Mariae Russolillo impetraretur. Superior Generalis imaginem beati Fundatoris super aegrotantis corpus poni mandavit. Die 21 mensis Aprilis repente iuvenis oculos aperuit, solute loquebatur et brachia cruraque movere valebat. Medici, ut tam repente e veterno experrectus esset atque cuncta corporis membra incolumia evasisent, extraordinarium secundum scientiam putaverunt. Maxime de uno ex renibus metutum fuit propter musculi sceletalis laesionem.

Tres medici perfectam sanationem et valetudinem optimam ab inspectione confirmaverunt. Evidens est concursus temporis et consequentia inter beati Iustini Mariae Russolillo invocationem, quae univoca fideique fuit, et iuvenis sanationem, qui deinceps naturali socialique vita pollens, sanus vixit.

De hac sanatione, mira aestimata, a die 19 mensis Iulii anno 2017 ad diem 23 mensis Martii anno 2018 iuxta Curiam ecclesiasticam Puteolanam Inquisitio dioecesana instructa est, quam haec Congregatio de Causis Sanctorum iuridice validam per decretum diei 10 mensis Octobris anno 2018 recognovit. Medicorum Consilium die 5 mensis Martii anno 2020 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse.

Die 16 mensis Iunii anno 2020 Theologi Consultores necnon Padres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 6 mensis Octobris anno 2020 congregati, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum protulerunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: Constat de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Iustini Mariae Russolillo, Sacerdotis, Fundatoris Societatis Divinarum Vocationum, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam iuvenis professi a *“crisi tonico-cloniche generalizzate e prolungate, stato di male epilettico, coma, gravissima rabdomiolisi, polmonite ab ingestis, insufficienza respiratoria acuta”*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Octobris anno 2020.

✠ MARCELLUS SEMERARO
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

NEAPOLITANA

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Laurentiae Longo, Fundatricis Nosocomii Incurabilium Neapolis et Monialium Capuccinarum (1463-1539)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Laurentia Longo, profecto Catalana natu, Ilerdae probabiliter ortum duxit circiter anno 1463. Iuventute cum Ioanne Llongo matrimonium contraxit, qui Consilii Aragoniensis munere regendi fungebatur. Cum quadam a famula, quae in similtate erat cum ea, venenum accepisset, inferiorum paralyti correpta est artuum. His in rebus etsi versaretur, anno 1506 virum comitata est Neapolim. Quo defuncto, anno 1509 peregrinationem ad Sanctuarium Lauretanum facere postulavit, ubi subitaneae sanationis gratiam suscepit. Neapolim redita, cum liberis suis prospexisset, exercendae caritati apud Valetudinarium Sancti Nicolai ad Molem omnino se tradidit. Dein Nosocomium instituit Incurabilium, aegrotorum scilicet qui siphylidis ratione sic appellabantur. Cum primi Fratres Minores Capuccini Neapolim peterent, intus valetudinarii adnexa Venerabilis Serva Dei iis hospitium praebuit. Tribus post annis idem hospitium Clericis Regularibus Theatinis dedit. Una cum aliquibus mulieribus novi clausurae instituti iuxta Regulam Sanctae Clarae condendi cepit consilium. Itaque novus Secundi Ordinis Sancti Francisci reformatus ramus ortus est, qui eundem Capuccinorum pauperem austerumque vivendi modum, necnon Monialium Capuccinarum nomen suscepit. Monasterium vocatum est Protomonasterium Sanctae Mariae in Ierusalem sed, postquam Summi Pontificis litterae in forma brevis ut monialium numerus usque ad tres et triginta augetur concessissent, Monasterium “Trium et triginta” vulgo appellabatur. Venerabilis Serva Dei dimidio anni 1539 secundo pie in Domino obdormivit. Die 9 mensis Octobris anno 2017 Summus Pontifex Franciscus huic Congregationi de Causis Sanctorum Venerabilis Servae Dei decretum super heroicis virtutibus edere dedit licentiam.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio cuiusdam monachae Capuccinae Monasterii Neapolitani “Trium et triginta” sanationem, miram aestimatam, huius eiusdem Congregationis de Causis Sanctorum iudicio subiecit. Res mense Septembri anno 1881 accidit, cum monialis trigesimum secundum annum ageret.

Nam ipsa, quinque ac viginti annorum aetate, prima phthisis signa sinistro in pulmone ostendit. Omnia medicamenta adhibita nil assecuta sunt. Mense Februario anno 1878 medici, religiosam inspicientes, infaustam brevioris temporis prognosim ediderunt. Clinica enim condicio usque in peius mutabat, cum aliquot acerrimorum dolorum temporibus quoque. Inter alia, funesta

quaedam macies, convulsa et demum totius corporis paralysis apparuerunt. Cum omnes eius iam certam ac impendentem exspectarent mortem, capitis Venerabilis Servae Dei reliquiam accepit. Quae, die 9 mensis Septembris anno 1881, pectori eius iterum imposita est, dum vero Fundatricis intercessio invocabatur. Ab illo die aegrotantis status convalescere incepit, adeo ut ipsa dimidio mensis Octobris denuo ambulare inchoaret ac die 24 mensis Octobris eiusdem anni medicus sanationem decerneret.

De hac re Vilelmus Cardinalis Sanfelice, Archiepiscopus Neapolitanus, ut inter mensem Octobrem et mensem Decembrem anni 1881 Inquisitio de hac sanatione, uti ferebatur, mira ageretur iussit. Cuius acta reperta sunt anno 1992, deinde Inquisitioni diocesanae, quae apud Curiam ecclesiasticam Neapolitanam inter annum 2007 et annum 2016 celebrata est, exhibita. Per decretum diei 18 mensis Octobris anno 2017 haec Congregatio de Causis Sanctorum eius iuridicam validitatem agnovit. Medicorum Consilium, die 10 mensis Octobris anno 2019 congregatum, diagnosim affirmavit atque monialis declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 20 mensis Februarii anno 2020 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus atque die 20 mensis Octobris eiusdem anni Patrum Cardinalium et Episcoporum habita est Sessio Ordinaria. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Mariae Laurentiae Longo, Fundatricis Nosocomii Incurabilium Neapolis et Monialium Capuccinarum, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam monachae a "tuberculosis pleuro-polmonare cronica con evoluzione fisiogena e localizzazione extrapolmonare".*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Octobris a. D. 2020.

✠ MARCELLUS SEMERARO
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, a Secretis

VARSAVIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Elisabethae Czacka (in saeculo: Rosae), Fundatricis Congregationis Sororum Franciscanarum Servarum Crucis (1876-1961)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Elisabetha Czacka (in saeculo: Rosa) die 22 mensis Octobris anno 1876 in urbe v.d. *Biala Cerkiew*, hodie intra Ucrainae fines, orta est, Polonica in nobilis generis familia. Infirmi-
tatem oculorum iam ab adolescen-
tia pati videbatur, sed delapsus ex equo eius verae inter causas fuit caecitatis. Duo et viginti annos nata, vocationem suam ad caecis ministrandum intellexit ac decem per annos ad hoc congruentem institutionem sumpsit. Primo totius mundi bello extincto, religiosam professionem, sumpto Elisabethae nomine, emisit atque Tertii Ordinis Sancti Francisci vestem induit. Congregationem Sororum Franciscanarum Servarum Crucis condidit, quibus munus dedit apostolicum caecis ministrandi ac crucem cotidianam ferendi ad caecitatem spiritualem hominum expiandam. Anno 1922 in loco v.d. *Laski*, prope Varsaviam, Institutum Caecorum constituit, quod ipsa impigre, una cum aliquibus Sororibus et christifidelibus laicis, rexit. Industria eius cum ferventi interiore vita erat adiuncta, quam precatione et contemplatione alebat. Die 15 mensis Maii anno 1961 in loco v.d. *Laski*, sanetitatis quidem fama circumdata, obiit. Summus Pontifex Franciscus die 10 mensis Octobris anno 2017 heroicis eius agnovit virtutes.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio cuiusdam puellae sanationem, miram aestimatam, huius Congregationis de Causis Sanctorum iudicio subiecit. Res Lomsae, in Polonia, aestivo tempore anni 2010 accidit, octavum aetatis annum puella agente. Cum parvula suis cum sororibus in horto luderet, transversarius oscilli palus, decidens, caput eius trivit. Gravissimis in condicionibus versantem, videlicet veterosam ac liquore cerebrospinali ex naribus et auribus profluente, ipsam in valetudinarium sine cunctatione tulerunt. Sectio chirurgica ad hemisphaerium cerebri levandum est adhibita. Sollicita gravitate vero perdurante, puella primum intentivae curationis dein neurochirurgiae in valetudinariii parte permanere debuit. Ingravescente veterno ac livore aucto, qui prope parietem capitis in sinistra cerebri parte erat, chirurgica altera adhibita est sectio. Inde temporalis tracheotomia facta est ac die 19 mensis Septembris puella tertiae sectioni est subiecta, ut nasi sinistri-
que zygomi ossa re collocarentur, necnon frontalis ossis pars inferior et cavitas orbitalis sinistra artificiose reformarentur. Circiter medio eiusdem mensis, prima progressionis signa apparuerunt, quae paucis in diebus tam facta sunt manifesta, ut parvula

in restitutionis valetudinarii partem moveretur. Die 5 mensis Novembris demissa est, recuperata facultate bene ratiocinandi, loquendi, se movendi ac deambulandi. Quippe cum similibus in casibus aegroti, quamvis superstites, aliquot mentis vel corporis defectus necessario ostendant, medici puellae sanationem inopinatam censuerunt. Quae Venerabilis Servae Dei intercessionem tribuitur, cum ad hoc una voce religiosae, propinqui atque amici univocam precem ei adhibuerunt. Puellae amita promoverat eam, Soror Congregationis Franciscanarum Servarum Crucis, quae communitatem suam novenam Fundatrici orare postulavit ac inter propinquos et amicos Venerabilis Servae Dei imagunculas etiam diffudit. Preces iam a tempore casus coeptae sunt, deinde usque ad perfectam sanationem progredientes et post quoque, cum medici sanatam inspicerent. Evidens ergo est temporis concursus et consequentia inter Venerabilis Servae Dei invocationem et parvulae sanationem, quae, naturali socialique vita pollens, adhuc sana vivit.

De hac re a die 3 mensis Ianuarii anno 2013 ad diem 5 mensis Iunii anno 2018 Inquisitio dioecesis apud Curiam ecclesiasticam Varsaviensem-Praensem instructa est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 20 mensis Decembris anno 2018 est agnita. Medicorum Consilium, die 9 mensis Ianuarii anno 2020 sessione currente, sanationem declaravit celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 26 mensis Martii anno 2020 Consultores Theologi, necnon die 6 mensis Octobris anno 2020 Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione congregati, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, adfirmative responderunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Elisabethae Czacka (in saeculo: Rosae), Fundatricis Congregationis Sororum Franciscanarum Servarum Crucis, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam puellae a "gravissimo trauma cranioencefalico e facciale, coma profundo"*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Octobris a. D. 2020.

✠ MARCELLUS SEMERARO
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

VICARIATUS APOSTOLICI BERYTENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servorum Dei Leonardi Melki et Thomae Georgii Saleh, Sacerdotum professorum Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum († 1915/1917)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis» (*Io* 15, 13).

Post aliquot saecula, quibus religiones inter se amicitiam et pacificum convictum coluerant, in plurimis Turcarum imperii partibus, et Mesopotamiae in regione praesertim, vexationes et hostilia in christifideles evenerunt. Primo totius mundi bello deflagrante, persecutio erga Ecclesiam recruduit, disposita est ac saevior facta, deportationum stragiumque statuto proposito, tam ut “primum saeculi XX genocidium” putaretur, sicut die 27 mensis Septembris anno 2001 Summus Pontifex sanctus Ioannes Paulus II et Karenin II, Catholicus Ecclesiae Apostolicae Armenae, una dixerunt. A nocte inter diem 23 et diem 24 mensis Aprilis anno 1915, cum Constantinopoli Armeniorum notabiles primum in vinculis ducti essent, plus quam quindecies centena milia Armenorum, Syrorum, Chaldaeorum, Assyriorum Graecorumque christifidelium mortem obierunt. Cum quibus multi episcopi, sacerdotes, religiosi religiosaeque, necnon plurimi missionarii exteri interfecti sunt, quodam sine processu, inter quos et Leonardus Melki et Thoma Georgius Saleh.

Hi duo Servi Dei nati sunt in Libanensi vico v.d. *Baabdath*, in regione v.d. *Metn*. Exemplo Fratrum commoti, Ordinem Minorum Capuccinorum ingredi statuerunt. Apud Seminarium Minus Constantinopolitanum Sancti Stephani, quod erat Instituto Apostolico Orientali, studuerunt. Eodem loco etiam Capuccinorum vestem acceperunt ac primam emiserunt professionem. In conventu loci v.d. *Bugià*, apud Smyrnam, philosophica theologicaque studia compleverunt, vota sollemnia die 2 mensis Iulii anno 1903 nuncupaverunt atque die 4 mensis Decembris anno 1904 ordinati sunt presbyteri. Ad missionem Mesopotamiae adlegati sunt, ubi confessoriorum, praedicatorum ac magistrorum officio zelanter se tradiderunt, scholas rexerunt, pastora-
leque opus in iuvenes et Tertii Ordinis Sancti Francisci sodales fecerunt.

Die 5 mensis Decembris anno 1914 Servus Dei Leonardus Melki quartum et trigesimum vitae annum agebat ac in urbe vivebat v.d. *Mardin*. Illa die imperii milites Capuccinorum ecclesiam irruperunt, vires ac vexationes contra missionarios patnaverunt, denique eos iusserunt conventum relinquere. Servus Dei, valde periculi conscius, ad extremum quodam cum seniore fratre, qui moveri non poterat, permanere censuit. Ergo in vinculis ductus est ac sex per dies cruciatus, ut fidem abdicaret atque religionem Islamicam suscipere. Die 11 mensis Iunii anno 1915 centenorum captivorum agmen praecedere iussus est Amidam deportandorum, inter quos beatus Ignatius Maloyan, Catholicus Archiepiscopus Mardensis Armenorum. In dimidio circiter itineris, in loco v.d. *Kalaat Zirzawane*, cum rursus fidem abdicare recusavissent, necati sunt eorumque corpora in putea vel speluncas adiecta.

Die 22 mensis Decembris anno 1914 Servus Dei Thoma Georgius Saleh Amidensi conventu decedere coactus est, quodam cum fratre aliquibusque Sororibus, ac Edessam confugit. Quinque et triginta annos compleverat. Duos per annos imperii militum vexationes strenue toleravit duobusque stragium christianorum ordinibus in urbe editis supervixit. Inde dolose insimulatus est, aliis cum religiosis, Armenum quendam sacerdotem occulere necnon quoddam telum irritum obtinere. Qua causa damnatus est capite. Cum omnia genera virium ac vexationum laboravisset, in typhum incidit. Iam exhaustus Germaniciam pervenit, ubi probabiliter die 18 mensis Ianuarii anno 1917 interiit.

Heroica Servorum Dei fides et caritas non tantum eorum ministerium Evangelii missionariorum graviores inter angustias informaverunt, sed etiam ut suam vitae consecratae vocationem sanguinis effusione perficerent, impulerunt.

Servorum Dei fama martyrii Custodiam Generalem Capuccinorum Proximi Orientis induxit ad eorum Causam beatificationis seu declarationis martyrii instruendam. Anno 2006 Vicariatus Apostolici Berytensi competentia concessa est fori. Apud Curiam ecclesiasticam eiusdem Vicariatus Apostolici Inquisitio dioecesana ergo celebrata est a die 17 mensis Februarii anno 2007 ad diem 28 mensis Octobris anno 2009. Et Inquisitio suppletiva habita est a die 28 mensis Octobris anno 2011 ad diem 15 mensis Decembris eiusdem anni. Ambarum Inquisitionum validitatem iuridicam haec Congregatio de Causis Sanctorum die 1 mensis Octobris anno 2012 decrevit. Positio confecta, die 28 mensis Februarii anno 2017 Consultorum Historicorum subiecta est

iudicio. Inde disceptatum est, usitatam iuxta normam, an Servi Dei veri uti martyres interfecti essent. Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus die 19 mensis Novembris anno 2019 votum adfirmativum emisit. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione diei 6 mensis Octobris anno 2020 congregati, Servorum Dei martyrium agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Leonardi Melki et Thomae Georgii Saleh, Sacerdotum professorum Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Octobris a. D. 2020.

✠ MARCELLUS SEMERARO
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MUTINENSIS - NONANTULANA

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servi Dei Aloisii Lenzini, Sacerdotis dioecesanii († 1945)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus» (*Io* 10, 11).

Dilectio gregis sibi commissi sacerdotalem Servi Dei Aloisii Lenzini habitum denotavit, qui ex doctrina Christi traxit vim usque ad extremum vitae sacrificium.

Servus Dei die 28 mensis Maii anno 1881 a familia funditus christiana ortus est Flumine Albo, intra Archidioecesis Mutinensis fines. Tribus post diebus suscepit Baptisma. Vocationis sacerdotalis signa percepit, quapropter Fluminis Albi Seminarium ingressus est ad studia gymnasii agenda theologicaque incipienda. Cursus studiorum apud Seminarium Archiepiscopale Mutinae perfecit. In cathedrali eiusdem urbis presbyter ordinatus est die 19 mensis Martii anno 1904 ac prima officia pastoralia ut primum Casinalbi deinde Finarii cappellanus gessit. Strenuum vero ostendit animum, cum fidem palam defenderet, ne iuvenes in rei publicae tunc serpentes doctrinas caderent, quae eos ex Ecclesia abripere possent.

Ab anno 1912 ad annum 1921 paroeciam loci v.d. *Roncosaglia* regens atque parochi munere ab anno 1921 ad annum 1937 fungens pagi v.d. *Montecuccolo*, fide, pietate industriosaque caritate eminuit. Iesum Sacramentatum valde diligebat, itaque in paroecia compositum adorationis Eucharisticae exercitium instituit, cuius causa meditationes scripsit, fidei eius in mysterium Eucharisticum altitudinem testificantes. Et magnam quidem devotionem in Virginem Mariam colebat. In medio populi sui, Servus Dei homines adire cupiebat cumque omnibus sermocinari. Archiepiscopo Mutinensi consentiente, vitam religiosam breviter Romae expertus est apud Clericos Regulares Minores. Sex post mensibus autem in Archidioecesim rediit, ubi valetudinarii loci v.d. *Gaiato* spiritualis opus adiumenti est ei commissum. Anno 1941 parochus nominatus est parvi municipii Padulli vici v.d. *Crocette*, Mutinensi in Appennino. Illo tempore paroecia circiter sescentas animas numerabat. Servus Dei populo servitium praestavit, assidue aegrotos visitare ac diligenter ministrare sacramenta solebat. Evangelium praedicabat vehementibus et apte confectis sermonibus, necnon contra vitium blasphemiae contendendo.

Secundo mundano vergente bello, omnibus, qui ad eum accesserunt, hospitium praesidiumque praestitit. Tunc christiana fides acerrime adversabatur doctrinis communistis, quae rei publicae Sovietici generis rationem consecrabatur atque christianis normis, clero fidelibusque, qui clarius testimonium fidei praeberent, obstabat. Propterea quidem Aemiliae-Romaniolae in regione plurimi interfecti sunt sacerdotes. Cum Servus Dei in existimatione populi esset atque a multis diligeretur ac audiretur, Servus Dei a communistis maxime invidetur. Contra ipsas eorum doctrinas enim palam loquebatur, conscius se graviter periclitari. Etsi mortis minas recepisset, numquam tamen officio veritatis praedicandae deesse voluit. Mortem tantum eum silentem facere posse dicebat.

Nocte intra dies 20 et 21 mensis Iulii anno 1945 somno excitatus est atque, ut ad sacramenta cuidam aegroto ministranda iret, est rogatus. Quod Servus Dei artificium, ut domo exiret, reapte esse intellexit. Homines atamen in domum paroecialem irrumpere valuerunt. Sacerdotem assecuti sunt in turre campanarum, ubi ipse aera frustra ad auxilium vocandum pulsabat. Nam, ad metum populo incutendum, plurimas ferreorum globulorum successiones sicarii emisit. Vestibus fere exutum, eum secum protraxerunt. Cadaver eius, horrendum in modum excruciatum, insequenti hebdomada compertum est, terra semitectum, quadam in vinea, quae non longe ab ecclesia distabat. Interfectores in eum atrociter desaevierant, deinde ictu in cervice confecerant. Usque ad finem ipse in fide, contra quam vero illi adversabantur, perseveravit.

Servi Dei exequiae frequenti celebratae sunt populi concursu. Corpus eius, primum in coemeterio municipali conditum, anno 1978 translatum est in novum eiusdem coemeterii sacellum ac anno 2002 intus paroecialem ecclesiam vici v.d. *Crocette* conditum.

Cum, congruente temporis spatio exacto, Servi Dei sanctitatis et martyrii fama perduraret, eius instructa est Causa beatificationis seu declarationis martyrii. Inquisitio dioecesana a die 18 mensis Iunii anno 2011 ad diem 24 mensis Novembris anno 2012 habita est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum est agnita per decretum diei 23 mensis Ianuarii anno 2015. Positione exarata, disceptatum est, consuetum secundum iter, an Servi Dei verum fuisset martyrium. Die 27 mensis Februarii anno 2020 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus celebratus est, qui votum adfirmativum edidit. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in

diei 20 mensis Octobris anno 2020 Sessione, Servum Dei interfectum esse agnoverunt ob eius in Christum et in Ecclesiam fidem.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Aloisii Lenzini, Sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Octobris a. D. 2020.

✠ MARCELLUS SEMERARO
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MARIANENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servae Dei Isabellae Christinae Mrad Campos, Christifidelis laicae († die 1 mensis Septembris anno 1982)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius eum timete, qui potest et animam et corpus perdere in gehenna» (*Mt* 10, 28).

Serva Dei Isabella Christina Mrad Campos fidelitate simplicitateque fidem penitus vixit. In familia, paroecia et scholis sinceræ caritatis suae in Deum testimonium praebeuit, quam vero precatione alebat. Eius virtutum habitus demum cumulatus est martyrio, quo eius vita terrena praemature adducta est ad finem.

Serva Dei nata est in historica Brasiliensis civitatis Fodinarum Generallium urbe Barbacena die 29 mensis Iulii anno 1962. Familia eius rationem habebat christiano cum motu, qui “Vincentianus” appellabatur, ad caritatem exercendam. Itaque Isabella Christina, iam ab adolescentia Conferentiis Sancti Vincentii auxilium operis praestitit. Missae et sacramentis assidue intererat atque orationis vitam colebat, propter quam ab aequalibus suis differebat. Invalidos curabat et pauperrimorum inter condiscipulos ad necessitates animum intendebat. Iucunda erat ac cum amicis stare cupiebat, quae eam vulgo familiariter *Cris* vocabant. Blanda benignaque esse valebat, sed etiam animo firma et oboediens. Desponsum etiam habuit, quocum necessitudinem autem castam servavit.

Superioribus studiis peractis, in urbem v.d. *Juíz de Fora* se contulit, ut scholas praeparatorias ad ordinem studiorum medicinae incipiendum frequentaret. Nam infantium puerorumque medicus fieri desiderabat, ut multos pauperiorum vicorum pueros adiuvere posset. Serva Dei primum quadam in habitatione cum aliis iuvenibus feminis studentibus deversata est, quod tamen optimum sibi non esse percepit, cum aliae vere bonos honestosque mores non haberent, dum autem spiritualis vitae ipsi colenda esset regula.

Servae Dei fratre in eodem urbe opus faciente, pater in via nomine *Barbosa Lima* nuncupata habitationem emere censuit, quo loco ambo una habitare possent. In quem vero die 15 mensis Augusti anno 1982 se con-

tulerunt. Inde in quadam taberna armarium emerunt, quae quendam operarium misit die 30 mensis Augusti ad armarium idem componendum. Qui iuvenis vir grandiculus, macer, fusco cutis colore capilloque tonso erat. Crebro Servam Dei interrogavit, quae ideo titubabat et conturbabatur. Die 1 mensis Septembris iuvenis idem, operis perficiendi excusationem inducens, ianua pultavit. Quam Serva Dei aperuit ei, cuius vera proposita nesciebat. Vir sane Servae Dei virginitatem conatus est attentare. Ea detractante, vi uti decrevit: televisificum instrumentum elatiore cum voce accendit, quadam sella eam contundere incepit, ei os obturavit atque funibus eam revinxit. Cum vestimenta eius subtrahere coepisset, Servae Dei certamen usque strenuum factum est. Quapropter iuvenis quendam cultrum accepit, ac quindecim ictibus eam percussit, quorum duo in muliebribus et tredecim in scapulis. Servae Dei defensionis vis, ne ei virginitas eriperetur, humanum vero modum excessit ac valuit.

Cum interfecto non tantum contra Servam Dei egisset, sed etiam in odium ipsius fidei morumque propositorum, nex eius mox iudicata est martyrismus. Ita christifideles laici, parentes iuvenesque praesertim, et clerici, ex quibus aliqui Episcopi quoque, eius moriendi modum sed maxime vivendi intuentes, continenter putaverunt. Ante annum 1989, plurima collecta sunt exquisita vel testimonia, quae deinde adiuncta recepta sunt extraprocessualia.

Qua perdurante fama, inde Servae Dei incepta est Causa beatificationis seu declarationis martyrii. Die 26 mensis Ianuarii anno 2001 Servus Dei Lucianus Mendes de Almeida, Archiepiscopus Marianensis, Inquisitionem dioecesanam instituit, quae ad finem pervenit die 1 mensis Septembris anno 2009. Haec Congregatio de Causis Sanctorum eius decretum de iuridica validitate die 3 mensis Decembris anno 2010 emisit. Ut tamen martyrismus aestimatus apte probaretur, Inquisitio suppletiva petita est, quae apud eandem Curiam ecclesiasticam Marianam a die 4 ad diem 19 mensis Februarii anno 2013 est celebrata, quaeque iuridicam validitatem ab hac Congregatione recognitam die 6 mensis Decembris eiusdem anni obtinuit. Positione confecta, ergo disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servae Dei verum fuisset martyrismus. Die 10 mensis Ianuarii anno 2019 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus adfirmativum votum protulit. Patres Cardinales et Episcopi, diei 6 mensis Octobris anno 2020 Ordinaria in Sessione, Servam Dei ob eius fidem in Christum et in Ecclesiam interfectam esse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servae Dei Isabellae Christinae Mrad Campos, Christifidelis laicae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Octobris a. D. 2020.

✠ MARCELLUS SEMERARO
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

SANCTI IOANNIS IN BRASILIA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Roberti Giovanni, Fratris professi Congregationis a Sacris Stigmatibus Domini Nostri Iesu Christi (1903-1994)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Qui fecerit et docuerit mandata Domini, hic magnus vocabitur in regno caelorum» (*Mt* 5, 19).

Servus Dei Robertus Giovanni unum tantum propositum vitae coluit, id est semper et omnino, humilitate summa, Dei facere voluntatem. Itaque verus Redemptionis, quae est in Christo Iesu, fuit apostolus ac Dei factus est consolationis instrumentum.

Servus Dei Rivi Clari in Brasilia natus est die 18 mensis Martii anno 1903. Parentes eius, natione Italici, maxima pietate utebantur. Aliquot mensibus post ortum suum, in ecclesia Sancti Ioannis Baptistae, quam familia eius frequentare solebat, Baptisma suscepit. Primis studiis peractis, operatus est quodam in acetificio. Tunc ecclesiam Sanctae Crucis frequentare incepit, quo loco religiosi Congregationis a Sacris Stigmatibus Domini Nostri Iesu Christi divinam rem conficiebant. Qui vero ad vocationem cernendam ei praeberunt auxilium. Ergo eandem Congregationem ingressus est, quattuor et triginta annos natus. Cum studia minora complevisset, iter ad sacerdotium intermittere ac se fratrem religiosum permanere omnibus stupentibus statuit. Die 16 mensis Septembris anno 1937 perpetuam emisit professionem.

In loco v.d. *Casa Branca*, apud Sanctuarium Nostrae Dominae ab Exsilio, ab anno 1939 ad annum 1993 fere continenter vixit. Itinera vocationalia et institutionem religiosam curabat, iuvenum et catechistarum in primis. Devotionem in Virginem Mariam ab Exsilio, sanctum Ioseph ac sanctum Gasparem Bertoni, eius religiosae familiae fundatorem, provexit. Egenos adiuvabat impiger ac omnibus laborantibus, qui solacium vel consilium ab eo postulavissent, subveniebat. Aegrotantibus adsidebat, sanctam Communionem domi iis etiam ferens, moribundos comitabatur ac luctu confectis singulariter aderat familiis. Inter annum 1945 et annum 1961 Congregationis commentarius, vulgo *Ecos Estigmatinos* inscriptus, cuius Servus Dei fuit diurnarius atque corrector, idem apud Sanctuarium edebatur. Quem ipse promovit non circa tantum, sed et eunctam per Sancti Pauli urbem et

Fodinarum Generalium. Secretarii Curiae provincialis quoque annis 1962 et 1963 functus est munere.

In imitatione Christi cupienda quidem firmus erat ac christianam vitam mirifica fidelitate usque ad finem vere factitabat. Dei fuit vir, qui sui omnia Providentiae committebat. Animarum salutem praedicabat, precationis vitae etiam praestans exemplum et Congregationis suae Regulae observans. Pietatem eucharisticam assidue ac diu colere cupiebat, ut se coram Deo in cotidianis continenter esse perciperet. Contemplativus fuit, etiam cum humiliora, ut ostiarius ac sacrista, officia ageret vel pastoralia, ut catechista, institutor ac minister extraordinarius Communionis, opera. Mansuetudine et hilaritate omnibus, imperitis aut eruditis, sacerdotibus, religiosis vel laicis, admirationi erat. Quandam actionem benevolam et benignum quoddam verbum nemini recusavit.

Ob infirmitatem, ad urbem motus est v.d. *Campinas*. Postremo vitae spatio, quod dolores designavere, fides et spes eius maxime reluxerunt. Die 11 mensis Ianuarii anno 1994 terrenum consummavit tempus. Et hodie multi sepulcrum eius visitant eique plurimas gratias tribuunt.

Hac ipsa sanctitatis signorumque fama, Servi Dei Causa beatificationis et canonizationis est instituta. Apud Curiam ecclesiasticam Sancti Ioannis in Brasilia Inquisitio dioecesana, a die 16 mensis Martii anno 2010 ad diem 2 mensis Octobris anno 2012, celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 25 mensis Ianuarii anno 2013 est agnita. Positione exarata, disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servus Dei christianas virtutes in gradu heroico excoluisset. Prospero cum exitu, Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus celebratus est die 6 mensis Iunii anno 2019. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in diei 20 mensis Octobris anno 2020 Sessione congregati, Servum Dei heroico more theologales, cardinales iisque adnexas professi sunt virtutes exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Roberti Giovanni, Fratris professi Congregationis a Sacris Stigmatibus Domini Nostri Iesu Christi, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Octobris a. D. 2020.

✠ MARCELLUS SEMERARO
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

HISPALENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Teresiae a Corde Iesu (in saeculo: Caelia Méndez y Delgado), Confundatricis Ancillarum a Divino Corde (1844-1908)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Deum Amorem nostrum et Dominum intuens, ei ministrans funditus gavisum, et nil aliud potius cupio quam voluntas eius in me perficiatur».

Serva Dei Maria Teresa a Corde Iesu, alta dulcique caritate in Deum, longum iter ad voluntatem Dei quaerendam percurrit, quam ferventer dilexit largeque servavit, ac coram incommodis ab ipsa postulatis numquam remota est. Sic religiosas, quarum confundatrix fuit, oboedientiae et ministerii spiritum docuit, cui earum nomen ancillarum congruit.

Serva Dei in civitate v.d. *Fuente de Andalucía*, non ab Hispali longe, die 11 mensis Februarii anno 1844 nata est. Familia eius divitiis atque auctoritate in societate modo fruebatur, ita ut puella instueretur ac valde erudiretur. Die 4 mensis Ianuarii anno 1862 Paulino Fernández de Córdoba y Vera de Aragón nupsit. Duodecim post annis vir obiit et Serva Dei idcirco pertristis in maerore iacuit. Illo ipso tempore in amore Dei plenam fidelemque caritatem invenit, atque ad seipsam Cordi Christi committendam, a bonis temporalibus abstrahendam et caritatis pietatisque operibus tradendam se vocari sensit. Beati Marcelli Spínola y Maestre, tum Hispali Sancti Laurentii parochus, spirituali moderationi seipsam subiecit. Aliquot post annis in discrimine ac precatione, angoribus ac trepidationibus quoque actis, una cum eo, Episcopo Cauriensi interea facto, religiosam Ancillarum a Divino Corde et Virgine Immaculata, hodie Ancillarum a Divino Corde nuncupatarum, congregationem inchoavit, ut opus apostolicum Ecclesiae in educationis ambitu propagaretur. Cauriae vestem religiosam induit et Malacae, cum Beatus Episcopus Malacitanus nominatus esset, die 17 mensis Iunii anno 1887 vota professa est. Serva Dei ad congregationem in Hispania augendam instituit atque nonnullas religiosas domus fundavit.

Mulier summae pietatis precationisque erat. Eucharistica Christi praesentia penitus attracta, veram, intimam gratamque caritatem in Cor Iesu habebat. In vitam suam considerationem intendens, dicere solebat: “Deus multum mihi plus dedit quam dempsit”. Virginis Mariae verbis, videlicet “Ecce ancilla

Domini” (Lc 1, 38), se Providentiae fidenti animo committere didicit. Eximia fides eius sobrio etiam habitu caritateque in alios ostendebatur. Fortitudine perseverantiaque de principiis utebatur, sed et patientia. Vivida spe dolores maeroresque suos toleravit, necnon congregationis difficultates curavit. Iam a iuventute egenos aegrotosque adiuwabatur, sicut caritatis apostolatam sui instituti charisma vixit. Christianarum virtutum exercitio primum uxoris, deinde religiosae vocationem ad perfectionem perduxit.

Ab omnibus qui eam cognoverunt dilecta atque clara sanctitatis fama circumfusa, Hispali die 2 mensis Iunii anno 1908 decessit.

Sanctitatis fama perdurante, Servae Dei Causa Beatificationis et Canonizationis est incepta. Apud Curiam ecclesiasticam Hispalensem Inquisitio dioecessana inter annum 1994 et annum 1995 celebrata est, cuius decretum de iuridica validitate ab hac Congregatione de Causis Sanctorum die 27 mensis Septembris anno 1996 editum est. Positio exarata, Consultorum Historicorum iudicio subiecta est die 3 mensis Decembris anno 2002. An Serva Dei virtutes christianas heroico in gradu excoluisset consuetas secundum normas est ergo disceptatum. Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus die 5 mensis Februarii anno 2019 favens protulit votum. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione diei 20 mensis Octobris anno 2020 congregati, Servam Dei theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroum in modum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae Teresiae a Corde Iesu (in saeculo: Caelia Méndez y Delgado), Confundatricis Ancillarum a Divino Corde, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Octobris a.D. 2020.

✠ MARCELLUS SEMERARO
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, a Secretis

MEDIOLANENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Marii Ciceri, Sacerdotis dioecesanii (1900-1945)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Marius Ciceri die 8 mensis Septembris anno 1900 ortum duxit Vedugii, Mediolanensi in Archidioecesi. A parentibus in caritatem erga Deum et Ecclesiam instructus, iam iuvenili aetate se sacerdotem fieri cupivit atque, lycaei studiis peractis, Seminarium Theologicum ingressus est Mediolanense. Die 14 mensis Iunii anno 1924 presbyteralem ordinationem suscepit. Coadiutoris munere functus est paroeciae Sancti Antonini Martyris in vico v.d. *Brentana di Sulbiate*, intus Brigantiae fines. Oratorio moderando haud communi navitate se tradidit ac inter iuvenes spiritualium fructuum copiam percepit. Anno 1926 sectio paroecialis iuvenum Actionis Catholicae instituta est, Servi Dei praesertim propter apostolicum fervorem. Secundi mundani belli annis, cum iuvenibus, qui ad bellum profecti erant, consuetudinem non intermisit, ad quos immo parvum rerum paroeciae commentarium edebat. Milites ac laborantes omnes adiuvit, ullo discrimine remoto, caritate tantum impulsus periculumque vero neglegens. Pauper quidem vixit, precationi bonisque operibus continenter deditus. Die 9 mensis Februarii anno 1945 in valetudinarium ivit, ad confessiones aegrotorum audiendas. Cum, birota vehens, in paroeciam rediret, quodam curru adflictus est atque in via gravissime patiens derelictus. In valetudinarium receptus, acriores dolores inanesque curas duos per menses sereno animo toleravit. Die 4 mensis Aprilis anno 1945 obiit, ut bellum ad exitum perveniret, milites in patriam redire possent ac peccatores se converterent, vitam offerens. Summus Pontifex Franciscus, ut decretum super heroicis eius virtutibus ederetur, die 1 mensis Decembris anno 2016 concessit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio huius Congregationis de Causis Sanctorum iudicio miram aestimatam rem subiecit, quae Comi anno 1975 accidit. Tunc quaedam septem annorum aetatis puella condiciones clinicas necopinato recuperare valuit, quae vero sectionem chirurgicam adhiberi permiserunt ad vitam. Ipsa enim congenito intestini morbo, quod “megacolon” vocatur, laborabat. Die 2 mensis Octobris illius anni puella

quadam sectione chirurgica passa est ad graviorem coproctasim solvendam. Tribus post diebus tam graves difficultates supervenerunt, ut opus novam sectionem adhiberi esset. Die 29 mensis Octobris autem condiciones in peius ultra mutaverunt, feбри vomituque adiunctis. Die 24 mensis Novembris sectio tertia intestinum inflammatum ostendit, adeo ut puellae vita quamcumque ob novam chirurgicam, quae adhiberetur, sectionem maxime periclitaretur. Parvula gravius aegrotare perrexit, cum etiam satis ali non posset. Quapropter die 12 mensis Ianuarii anno 1976 sectionem chirurgicam ad dexteram coli partem abscidendam adhiberi extrema ratione statutum est, ut puella utinam viveret. Omnes faustum exitum desperabant, ad quod contrario res pervenit. Nam aegrotae condiciones aptae inopinanter inventae sunt ut sectio tolerari posset. Qua vero parvula ex morbo recreata est, insequenti die 4 mensis Februarii domum rediit et adhuc, naturali socialique vita pollens, sana vivit.

Post primam chirurgicam sectionem, ne puella convalescere posset metuentes, propinqui Venerabilem Servum Dei invocare coeperunt. Et linteo- lum quoddam, quod ipsius fuerat, aegrae subpositum est pulvino. Invocatio univoca fuit, usque ad inopinatam sanationem sincera fide prolata. Quamobrem concursus temporis necnon consequentia inter Venerabilis Servi Dei invocationem et eandem puellae sanationem patent.

De hac re, apud Curiam ecclesiasticam Comensem a die 5 mensis Iunii anno 2006 ad diem 31 mensis Octobris anno 2007 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 5 mensis Decembris anno 2008 est agnita. Inquisitionis acta dein Consilii Medicorum subiecta sunt studio die 6 mensis Februarii anno 2020, qui insanitatem aegrotae, novam digestoriam sectionem chirurgicam impediens, comprobaverunt atque sanationem celerem necnon ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse declaraverunt. Die 16 mensis Iunii anno 2020 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est ac die 17 mensis Novembris anno 2020 Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria se congregaverunt in Sessione. Et in utroque coetu, sive Consultorum sive Cardinalium Episcoporumque, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum adfirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit:

Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Marii Ciceri, Sacerdotis dioecesani, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam puellae a “condizioni cliniche gravemente compromesse, che impedivano l’intervento chirurgico quoad vitam”.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 23 mensis Novembris a. D. 2020.

✠ MARCELLUS SEMERARO
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

FODIANA - BOVINENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Fortunati Mariae Farina, Archiepiscopi titularis Hadrianopolitani in Honoriade, olim Episcopi Troiani et Fodiani (1881-1954)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Discite a me, quia mitis sum et humilis corde» (*Mt* 11, 29).

Servus Dei Fortunatus Maria Farina e scriptis sancti Ignatii Antiocheni ad suum episcopalem insigne sententiam, videlicet “Frumentum Christi sumus”, traxerat. Mansuetudine ac patientia, quae imaginem Christi Boni Pastoris fecerunt eum, pro Ecclesia se impendit: tota toleravit, omnibus humanis miseriis commovebatur atque in cunctis rebus benevolentiam studiumque ostendit.

Servus Dei die 8 mensis Martii anno 1881 intra fines archidioecesis Salernitanae, Baronissis, ortum duxit. Ad studia perficienda missus est Neapolim apud patrum Societatis Iesu Collegium. Vitam Deo consecrare cupiens, decimosexto aetatis anno votum privatum virginitatis emisit. Ab Archiepiscopo Salernitano in numerum candidatorum ad sacros ordines receptus, die 18 mensis Septembris anno 1904 presbyter ordinatus est. Theologiae doctor est graduatus et in Universitate Neapolitana bonarum litterarum lauream adeptus est. Unionis Apostolicae Cleri circulum dioecesanum Salerni una cum aliquibus sacerdotibus fundavit. Primum quoque Circulum Catholicum Iuvenum aperuit et ad opus facientibus egenisque hominibus ministrandum se tradidit. Seminarii Salernitani spiritualis moderator nominatus est et Abbatiae nullius Sanctissimae Trinitatis Cavensis. Deinde parochi munere parociae Sancti Augustini Salerni functus est et primi mundani belli morboque Hispanici epidemiae annibus militum familiarumque auxilio eminent.

Octa et triginta annos natus, oboedientiae sensu et Summi Pontificis obsequio, Episcopus Troianus electus est. Consecratus est Romae, in ecclesia Sancti Caroli ad Catinarios, die 10 mensis Augusti anno 1919. In ministerio suo cleri laicorumque institutionem curavit. Denuo seminarium dioecesanum aperuit et una cum Combonianis Cordis Iesu institutum missionarium quoque Troiae fundavit. Fortitudinem atque temperantiam coram doctrinis temporis eius, quae catholicae fidei repugnabant, ostendit. Anno

1924 Sedes Apostolica et Episcopum Fodianum eum elegit, duas dioeceses in persona episcopi iungens. Ei nonnulli Troiae incolarum obstiterunt, ne episcopalis eorum civitatis sedes aboleretur metuentes. Causae omnes in Servum Dei collatae sunt, qui valde adflictus discessit. Pacis Ecclesiae gratia officium deponere non dubitabat, at Papa Pius XI fiduciam ei confirmavit et ut ministerium perrigeret eum adhortabatur. Simili agendi modo et aequo apostolico zelo dioecesis Fodiana curam gerit. Plurimae pastorales caritatisque actiones necnon ad cleri curam Institutum Saeculare Sanctae Militiae Iesu oriebantur.

Servus Dei, qui iam a sua sacerdotali ordinatione, caritatis in Deum gratia, sanctitatem cupiebat, sanctificationi cleri singulariter consuluit. Sacramenta maxime putabat, ante omnia Reconciliationis Eucharistiaeque, gratiae instrumenta ad quae ferventer ferebat animas quas moderabatur. Tenere Virginem Mariam diligebat, cui totum sacerdotis episcopique ministerium suum commiserat.

Corpore fatigatus, anno 1951 pastorale Ecclesiae Troianae regimen demisit ac, tribus post annis, et Fodiana. Tunc titularis sedis Hadrianopolitana in Honoriade ei tributa est. Die 20 mensis Februarii anno 1954 summa pietate Deo animam suam reddidit. Populus, qui exsequiis eius interfuit, de fama sanctitatis, quae iam viventem circumdavit eum, testimonium praebuit.

Hac ipsa fama et post mortem perdurante atque in decennia increbescente, Causa beatificationis canonizationisque aperta est. A die 12 mensis Septembris anno 1992 ad diem 24 mensis Maii anno 2008 iuxta Curia ecclesiasticam Fodianam-Bovinensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 27 mensis Martii anno 2009 est approbata. Positione exarata ac die 3 mensis Decembris anno 2019 Consultorum Historicorum iudicio subiecta, consuetas secundum normas an Servus Dei virtutes christianas heroico in gradu excoluisset disceptatum est. Die 2 mensis Iunii anno 2020 Consultores Theologi votum adfirmativum protulerunt. Patres Cardinales et Episcopi, die 17 mensis Novembris anno 2020 Ordinaria in Sessione congregati, Servum Dei theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroum in modum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus per subscriptum Praefectum Summo Pontifici Francisco accurata relatione, Sanctitas Sua, vota huius Congregationis excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de*

virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Fortunati Mariae Farina, Archiepiscopi titularis Hadrianopolitani in Honoriade, olim Episcopi Troiani et Fodiani, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 23 mensis Novembris a.D. 2020.

✠ MARCELLUS SEMERARO
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, a Secretis

GRANATENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Andreae Manjón y Manjón, Sacerdotis Fundatoris Scholarum «Ave Maria» (1846-1923)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Appropriate ad me, indocti, et congregate vos in domo disciplinae» (*Eccli* 51, 31).

Servi Dei Andreae Manjón y Manjón apostolatus zelum et fundatoris charisma hanc Veteris Testamenti sapientis invitationem indigentes ad pueros repetiverunt. Qui ut scholam vitam eius virtutibus exornatam invenerunt, ut domum cor eius sacerdotale, ut eruditionem Christi caritatis Evangelium, de quo ipse vero clarum praebuit testimonium.

Servus Dei in Hispania, in loco v.d. *Sargentas de la Lora*, die 30 mensis Novembris anno 1846 editus est in lucem. Matri, patri ac patruo, qui quodam in parvulo huius rusticae regionis vico erat sacerdos, peculiaribus vinculis adstringebatur. Ipsi eum ut studiis se traderet foverunt. Nam, quindecim annorum aetate, Seminarium ingressus est Burgense. Dein studia ecclesiastica in Seminario maiore Vallisoletano peregit ac simul, apud eiusdem urbis Universitatem, Utrumque Ius didicit doctorisque adeptus est gradum.

Aliquot menses in Universitate Vallisoletana pro quodam magistro docuit atque unum per annum magistri auxiliaris Salmanticae functus est munere. Anno 1879 docendi assecutus est professionem in Universitate Compostellana insequentique anno Granatam transferri petivit. Studium, operandi alacritatem necnon haud communes artes paedagogicas docendo ostendit. Archiepiscopum Granatensem auxilium uti cathedrarius catholicus praebuit, qui quidem ipsum ad suam intellegendam vocationem adiuvit. In vix condita Facultate, apud Abbatiam Sancti Montis Granatae, Iuris Canonici Theologiaeque Moralis Servo Dei commissum est magisterium quoque.

Inde consilium cepit ut presbyter fieret, certamen ad canonicatum eadem in Abbatia impetrandum superavit atque die 19 mensis Iunii anno 1886 sacro auctus est ordine. Itaque suam sacerdotis et magistri simul vocationem perficere valuit. Huius loci silentio solitudineque maxime fruebatur. Ad Universitatem tamen, ut scholas explicare pergeret, se mula clitellaria conferre solebat. Pauperrimorum urbis indigentiam, inscientiam et ignorantiam vidit,

quod vero non neglexit. Peculiari modo quodam die commotus est, cum aliquas Hamaxobias illitteratas puellas orationem “Ave Maria” dicere audiret. Ideo se pecuniam cunctam, studium tempusque suum his pueris instruendis tradere statuit. Primum laboris auxilio mulierem quandam, iam illorum eruditionem curantem, adiuvit, deinde animo suo scholas egenis pro pueris condere proposuit. In quibus etiam educandi ratione personalem ad indolem libertatemque provehendam uti censuit. Quapropter anno 1889 scholae “Ave Maria” sunt institutae, quae nonnullis annis usque ad plus quam trecentas proseminatae sunt, non Granatae eiusque in provincia tantum, sed et in plurimis Hispanicis regionibus. Religionis sensus christianaeque caritatis praeceptum institutionis principatum propositi obtinebant.

Anno 1918 Servus Dei Granatensi in Universitate docere desiit. Aliquot annis post, gravioris morbi signa apparuerunt, quod die 10 mensis Iulii anno 1923 eum morte affecit. Sextum et septuagesimum annum agebat.

Precatio, Verbi Dei Ecclesiaeque magisterii meditatio, Eucharistica pietas Servi Dei fidem aiebant. Marialis devotio spem eius, in primis inter angustias, sustinebat. Qui mirificam caritatem in Deum ostendit, semper eius Providentiae confisus, ut omnibus in vicibus voluntas Dei compleretur cupidus. A peccato quidem abhorrebat. Caritas, in opus institutionis, quod condidit, perfusa sed etiam aegrotantibus vel in carcere inclusis visitandis patefacta, fons eius omnium fuit virtutum. Quae vitam Servi Dei tam conspicue ornaverunt, ut ipse tum in vita tum post mortem sancti viri sacerdotisque famam obtinuerit.

Quam eandem propter famam, Servi Dei incepta est Causa beatificationis et canonizationis. Apud Curiam ecclesiasticam Granatensem die 6 mensis Iulii anno 1936 Processus Informativus initium habuit, qui postea die 2 mensis Aprilis anno 1948 resumptus ac denique peractus est die 9 mensis Februarii anno 1951. Omnibus expletis, quae *Normae servandae* anno 1983 editae postulabant, Processus decretum de iuridica validitate ab hac Congregatione de Causis Sanctorum adeptus est die 17 mensis Martii anno 1995. Positio est inde confecta atque, consuetum secundum iter, disceptatum est an Servus Dei in gradu heroico theologales, cardinales iisque adnexas virtutes exercuisse. Die 17 mensis Octobris anno 2019 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus faustum habuit exitum. Die 10 mensis Novembris anno 2020 Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione congregati, Servum Dei professi sunt christianas virtutes heroico more excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Andreae Manjón y Manjón, Sacerdotis, Fundatoris Scholarum “Ave Maria”, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 23 mensis Novembris a. D. 2020.

✠ MARCELLUS SEMERARO
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESiarUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 7 Augusti 2021. — Episcopali Ecclesiae Avellanediansi-Lanusensi Exc.mum P.D. Marcellum Iulium Margni, hactenus Episcopum titularem Stephaniacensem et Auxiliarem dioecesis Quilmensis.

die 10 Augusti. — Episcopali Ecclesiae Nemausensi Exc.mum P.D. Nicolaum Brouwet, hactenus Episcopum Tarbiensem et Lapurdensem.

die 11 Augusti. — Episcopali Ecclesiae Ilheosensi Exc.mum P.D. Ioannem Crippa, I.M.C., hactenus Episcopum Stantianum.

die 14 Augusti. — Episcopali Ecclesiae Sancti Andreae de Tuxtla R.D. Iosephum Aloisium Canto Sosa, e clero dioecesis Campecorensis.

— Episcopali Ecclesiae Iztapalapanae Exc.mum P.D. Georgium Cuapio Bautista, hactenus Episcopum titularem Bisarchiensem et Auxiliarem archidioecesis Tlalnepantlanae.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Geruntinae R.D. Antonium D'Angelo, e clero dioecesis Thermularum-Larinensis, hactenus Rectorem Pontificii Seminarii Regionalis Aprutini-Molisani Sancto Pio X dicati.

die 18 Augusti. — Episcopali Ecclesiae Penedensi Exc.mum P.D. Valdemirum Ferreira dos Santos, hactenus Episcopum Amargosensem.

die 19 Augusti. — Episcopali Ecclesiae Miletensi-Nicotriensi-Tropiensi R.D. Atilium Nostro, e clero Urbis dioecesis, ibique hactenus Curionem paroeciae Sancti Matthiae.

die 29 Augusti. — Episcopali Ecclesiae Derthonensi R.D. Vidonem Marini, e clero archidioecesis Ianuensis, hactenus Magistrum Pontificiarum Celebrationum Liturgicarum.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Sua Santità il Papa Francesco ha ricevuto in udienza in occasione della presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì, 2 settembre, S.E. il Signor BERNARD KOTSCH, Ambasciatore della Repubblica Federale di Germania.

Il Romano Pontefice ha altresì ricevuto in Udienza:

Venerdì, 3 settembre, S.E. la Signora INGRIDA ŠIMONYTĖ, Primo Ministro della Repubblica di Lituania.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

- | | | | |
|----|-----------|------|---|
| 1 | marzo | 2021 | Il Rev.do Mons. Giuseppe D'Alonzo, <i>Vicario Giudiziale del Tribunale Ordinario esistente presso il Vicariato di Roma «ad unum annum».</i> |
| 20 | aprile | » | La Ch.ma Prof.ssa Emmanuelle Marie Charpentier, Fondatrice e Direttrice del <i>Max Planck Unit for the Science of Pathogens</i> a Berlino (Germania), <i>Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze.</i> |
| » | » | » | La Ch.ma Prof.ssa Jennifer Anne Doudna, Premio Nobel per la Fisica nel 2018, Docente dell' <i>University of California</i> a Berkeley (Stati Uniti d'America), <i>Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze.</i> |
| 10 | maggio | » | L'Avv. Stefano Di Pinto, <i>Direttore dell'Ufficio del Fondo Pensioni «ad aliud quinquennium».</i> |
| 20 | luglio | » | Il Rev.do P. Gianfranco Ghirlanda, S.I., <i>Consultore della Congregazione per i Vescovi «ad aliud quinquennium».</i> |
| » | » | » | L'Ill.mo Dott. Lorenzo Fazzini, già Direttore Generale ed Editoriale dell'Editrice Missionaria Italiana, <i>Capo Ufficio nel Dicastero per la Comunicazione, con funzione di Responsabile Editoriale della Libreria Editrice Vaticana.</i> |
| 27 | » | » | Gli Em.mi Sig.ri Card.li Francesco Montenegro, Arcivescovo emerito di Agrigento, e Juan Luis Cipriani Thorne, <i>Membri della Congregazione delle Cause dei Santi «usque ad octogesimum annum aetatis».</i>
L'Ecc.mo Mons. Giovanni Paolo Benotto, <i>Membro della medesima Congregazione delle Cause dei Santi «ad aliud quinquennium».</i> |
| 16 | agosto | » | La Ch.ma Prof.ssa Geraldina Boni, Ordinario di Diritto canonico ed ecclesiastico presso l'Università degli studi di Bologna, <i>Giudice Applicato della Corte di Cassazione dello Stato della Città del Vaticano.</i> |
| 26 | » | » | La Rev.da Suor Alessandra Smerilli, F.M.A., <i>Segretario del Dicastero per il Servizio dello Sviluppo Umano Integrale «ad interim».</i> |
| 1 | settembre | » | Il Rev.do P. Kolumban Reichlin, O.S.B., <i>Cappellano della Guardia Svizzera Pontificia «ad quinquennium».</i> |

NECROLOGIO

7	agosto	2021	Mons. Alfredo Víctor Petit Vergel, Vescovo tit. di Buslacena, già Ausiliare di San Cristóbal de la Habana (<i>Cuba</i>).
»	»	»	Mons. Amando Samo, Vescovo em. di Caroline Islands (<i>Stati Federati di Micronesia</i>).
8	»	»	Mons. Hipólito Reyes Larios, Arcivescovo di Jalapa (<i>Messico</i>).
10	»	»	Mons. Petr Esterka, Vescovo tit. di Cefala, già Ausiliare di Brno (<i>Rep. Ceca</i>).
»	»	»	Sua Em.za il Sig. Card. Eduardo Martínez Somalo, del Titolo del SS. Nome di Gesù, Prefetto em. della Congregazione per gli Istituti di vita consacrata e le Società di vita apostolica, Camerlengo emerito di S.R.C.
11	»	»	Mons. Manuel Mireles Vaquera, Vescovo Prel. em. di El Salto (<i>Messico</i>).
12	»	»	Mons. Matthias U Shwe, Arcivescovo em. di Taunggyi (<i>Myanmar</i>).
13	»	»	Mons. Osório Bebber, O.F.M. Cap., Vescovo em. di Joaçaba (<i>Brasile</i>).
»	»	»	Mons. Henryk Hoser, S.A.C., Arcivescovo-Vescovo em. di Warszawa-Praga (<i>Polonia</i>).
21	»	»	Mons. Boutros Gemayel, Arcivescovo em. di Cipro dei Maroniti (<i>Cipro</i>).
»	»	»	Mons. Jean Orchampt, Vescovo em. di Angers (<i>Francia</i>).
»	»	»	Mons. Guy Sansaricq, Vescovo tit. di Glenndálocha, già Ausiliare di Brooklyn (<i>Stati Uniti d'America</i>).
26	»	»	Mons. Jacob Barnabas Aerath, O.I.C., Vescovo di Saint John Chrysostom of Gurgaon dei Siro-Malankaresi (<i>India</i>).
30	»	»	Mons. José María Libório Camino Saracho, Vescovo em. di Presidente Prudente (<i>Brasile</i>).
31	»	»	Mons. Sebastiano Dho, Vescovo em. di Alba (<i>Italia</i>).
1	settembre	»	Mons. José Heleno, Vescovo em. di Governador Valadares (<i>Brasile</i>).